

**27. Minuta di un Breve di papa Urbano VIII  
all'imperatore Ferdinando II.<sup>1</sup>**

Roma, 21 luglio 1635.

«Carissimo in Christo filio Nostro Ferdinando Hungariae et Bohemiae  
Regi illustri in Romanorum Imperatorem electo.  
Urbanus PP. VIII.

Carissime in Christo filio Noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Ex egregiis Maiestatis tuae conatibus pro Ecclesiae catholicae defensione summa cum laude susceptis Nobis semper polliciti sumus, nihil animo tuo sese offere quod vehementius cupias, quam gloriam christiana reipublicae, quae merito magnam futurae suae amplificationis in tua virtute ac pietate spem posuit, quam ut consequeremur, officio Nostro pastorali non defuimus. Monuerunt plures Maiestatem tuam dilectus filius Noster cardinalis Roccus et venerabilis frater Malatesta episcopus Pisaurensis, ac tibi nomine Nostro insinuarunt, ut caveres, ne quid isthic detrimenti rei ecclesiasticae catholicae in conficiendis pacificationis tractationibus inferretur. Secus tamen non sine gravi animi Nostri sensu accidit, idque praeter exspectationem Nostram; quaedam enim ad nuperae pacis conditiones pertinentia Nobis tuus orator nomine tuo significavit, non undequaque auctoritati tuae ac pietati iure debita constituta fuisse, et in iis sane, quae ad religionem spectant, minus quam ex tuis votis, qui singulari animi magnitudine Ecclesiae dignitatem semper tibi cordi fore declarasti, obtineri potuisse. Fusius hac de re tecum agent venerabilis frater Marius archiepiscopus Avenionensis et venerabilis frater Malatesta episcopus Pisaurensis, quibus a te integrum fidem haberi cupimus. Deum precamur, ut religionis causom superno praesidio tueatur, te, que caelestibus suis beneficiis affatim ditet. Maiestati tuae Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die XXI Iulii MDCXXXV pontificatus Nostri anno XII.

(Ad improbandas aliquas conditiones pacis eccl. adversantes scriptae fuerant litterae in super. exemplari. Deinde opportunius visum respondere Imperatori sequenti epistola [vedi sotto Nr 28], et iniunctum Nuntiis, ut eam consignantes simul ei exponerent, pactiones S. S. plur. sollicitudines attulisse) ».

*Epist. XIII-XIV n. 31, Archivio segreto pontificio.*

<sup>1</sup> Cfr. sopra p. 486.